



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium

Brusch, Kaspar

Nürnberg, 1682

Fulda sive Fuldense monasterium, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-38166

communivit. Est in hujus monasterii vicinia insignis pagus Rosenthal, quod Latinis equile, aut si mavis Rosental, rosarum vallem significat. Is pagus est Marchionum Brandenburgensium, ad Mulbachium rivum tribus à Noriberga lapidibus situs. In eo amplissima est Ecclesia Parochialis, constructa à S. Erbelgarde, Rheni Palatinissa, Divæ Khunigundis Babenbergensis fundatrix germana sorore, Ernesti vero, Bavarorum Ducis, laudatissima Coniuge. Horum amborum conjugum visuntur in eo templo regia profecto reconditoria. Tumulus Divæ Erbelgardis inscriptione quidem caret, sed nisi maximis sumptibus tam splendide extrui non potuit. Est enim similimus ei, in quo Bambergæ requiescere dicuntur Henricus II. Rom. Imp. & S. Cunigundis. Alter vero tumulus, Bavarorum videlicet Principis, Ernesti (qui in choro templi est) hanc habet hexametris quidem, sed satis rudibus versiculis ita contextam epigraphen:

Hac Dux Ernestus jacet in petra tumulatus.

Huic detur ut requies, sic optent quique fideles.

Da requiem, Christe, tecum sit semper ut iste.

Fuit olim eo ipso loco, quo templum hodie conspicitur, Castrum Bavaricæ Ducum, quod hac adhuc tempestate ab omni parte lapidosum testatur cœmiterium, sed quando aut à quibus devastatum sit, de eo nihil hætenus invenire potui. Sub templo, in subterraneis terræ faucibus aliud sanum est pervetustum & amplum, firmissimisq; duodecim pilis seu columnis constantiq; cœlestudine magnifice concameratum & communitum.

FULDA sive Fuldense monasterium, aut, ut in Caroli Magni diplomatibus reperitur, monasterium S. Salvatoris in Silva Buchovia situm, potentissima ordinis & instituti D. Benedicti Abbatia in Buchovia, Germaniæ tractu, inter Hassiam, Franciam orientalem & Wederoviam sito, ad ejusdem nominis amœnissimum ac pisculentissimum fluvium & intra ejusdem nominis præclaram civitatem amœnissimo loco fundata & constructa est anno Domini 744. sumptibus Carolomanni & Pipini, Galliæ ac Franciæ Regum, à S. Bonifacio sive Wunefrido Anglo, primo Archi-

*S. Bonifacius,
Archiepiscopus.*

Archiepiscopo Moguntino, qui ibi in præclara Basilica D. Bonifacii, anno Domini 791. condita, honorifico Mausoleo terræ parenti redditus ac sepultus est. Scribitur eo ipso die, quo S. Bonifacii à Frisiis occisi cadaver Fuldam est allatum, omnes cœnobii campanas sua sponte absq; omni hominum pariter ac jumentorum ope pulsatas & agitatas amœniorem & suaviorem solito sonum reddidisse: quod an fide dignum sit, aliis dijudicandum relinquo.

*Monasteria circa
Fuldam.*

Habet hoc potentissimum cœnobium extra civitatis mœnia in quatuor angulis circa se quatuor alia magnifica monasteria in altissimis montibus sita & ab Abbatibus Fuldensibus fundata, videlicet D. Joannis montem, Novum montem, Sancti Petri montem, ac Frauenbergum, quasi Dominarum vel nostræ Dominae, idest, B. Virginis montem: & parochiale templum S. Floriani: in quorum monasteriorum medio quasi sita est Fuldenfis cum civitas, tum Abbatia, aliarum omnium Germaniæ Abbatiarum illustrissima domina ac regina. Abbas ejus loci Princeps est Romani Imperii, unus ex quatuor Imperii aut cathedræ potentius imperialis Abbatibus, sic dictis à Carolo IV. quod ad pedes Cæsaris sedere in publicis Imperii statuum conventibus deberent. Sed & omnium, non Germaniæ solum, sed & Galliæ Abbatum

*Primas
Abbatum.*

Primas & Romanæ Imperatricis Archicancellarius: sicuti Magdeburgensis Archiepiscopus Episcoporum Germaniæ Primas, Moguntinus vero Imperatoris Romanorum Archicancellarius antiquitus designatus hac etiam adhuc tempestate ita haberi solet. Cubat in Fuldensi templo honorificentissime tumulatus Romanorum Imperator Augustus, Conradus I. Francorum Dux, novissimus ex nobilissima posteritate Caroli Magni, Imperatoris Ludovici III. ex Conrado fratre nepos, qui obiit anno Domini 919.

*Conradi
I. tumulus.*

*Bibliotheca
Fuldensis.*

Habet hoc cœnobium præter cætera ornamenta insignem & incomparabilem Bibliothecam, collectam & adornatam primum à Rabano, auctam vero & in ordinem redactam postea ab Hildeberto, monachis & Abbatibus Fuldensibus, literis & vitæ integritate conspicuis, tandem ad Archiepiscopatus Moguntini etiam

etiam gubernationem ob insignem virtutem ac vitæ honestatem
erocatis: de quibus plura leges in primo nostro Episcopatum
Germaniæ Tomo.

Catalogum ejus loci Abbatum talem à quodam S. Petri Ful-
denti Præposito (cujus mihi nomen ignotum est) eleganter & in-
geniose descriptum, à me tamen subinde auctum & absolutum,
communicavit mihi partim Gulielmus Wernherus, Illustris Co-
mes à Zimbern, Judicii Imperialis Spirensis supremus præses,
Dominus ac Meccenas mihi singularis, partim vero Ewaldus à
Creutzenachio Novicurianus, ad Drusi montem in Buchovia
natus, Episcopi Herbipolensis secretarius, fautor & amicus neu-
tquam mihi inter postremos collocandus.

Catalo-
gus Ab-
batum.

I. *Stormio* vel *Sturmius*, ex Norica regione nobilibus or-
tus parentibus, Germaniam à literis & pietate alienam variisq;
& bellis & seditionibus turbatam videns, cæterum indolem Ger-
manorum præclaram, si quem nacta esset magistrum ejus ducen-
dæ formandæq; callidum, scholas aliquot morum & pietatis con-
stituire meditabatur. Ingressus igitur, favente Carolo Magno,
vastas solitudines, advertit neminem vicinorum moleste laturum,
si quos pietatis usui campos necessarios occuparet, veniensq; ad
Fuldam fluvium celebrem, *Hersveldense* monasterium inchoa-
vit anno Salutis Christianæ 736. quo anno Beda, Doctor nobi-
lis, vita functus est. Unde octavo migrans anno ad superiorem
Fuldæ fluminis partem, *Fuldense* constituit monasterium, idq;
tam felicibus auspiciis, tam prospere pieq; rebus cadentibus, ut
ab Imperatore Carolo quatuor circumjacentis foli milliaria fa-
cile impetraverit. Habuit pius præceptor quadringentos tum
monasticæ disciplinæ discipulos præter juniores & eos, qui vili-
oribus officiis, excolendæ videlicet terræ, plantandis arboribus,
pulsandis campanis, & id genus aliis deputati erant. Nam superi-
ores illi describundis utriusq; linguæ auctoribus, omnium disci-
plinarum & professionum monumentis occupati, tantæ Biblio-
thecæ, quæ paulo post Philadelphicæ illi responsura erat, funda-
menta jecerunt. Imperator igitur, Carolus, volens & literis con-
sultum & pietati, ne tot tantaq; ingenia non (ut par erat) aleren-
tur,

Schola-
rum qua-
rum in
Germa-
nia *Stur-*
mius au-
thor.

Hersvel-
dense mo-
nasteri-
um, in Bu-
chovia.

Cc

Chronologia
monasteria
Germania
S. M

*Hamel-
burgum,
Civitas.*

*Holtz-
kirchen
Abbatia.
Solenbo-
fen ceno-
bium.
Umslat
Civitas.*

*Mons S.
S. Petri
preposi-
tura.
Wolfs-
münster
Cenobi-
um.*

*Nostra
Domine
Mons.*

tur, dedit Ecclesiæ Fuldenſi civitatem Hamelburgensem: adjuvanteq; Bonifacio, Archiepiscopo Moguntino, tria milliaria ſoli ulterius impetravit, ut ſeptem jam milliariſus ditio Fuldenſis pateret, unde non modo unitis monaſterii Fuldenſis fratribus, verum etiam in vicinis cœnobiis, Holtzkirchen & Solnhofen, ejuſdem ſtudii diſcipulis, Carolo (ut fundarentur) permittente, eſſet alimonia. Adjecit Pipinus civitatem Umſlat. Piuſigitur Magiſter, ubi partem fluminis Fuldæ per aquæductum in monaſterium deduxiſſet, & montem B. Petri ad ſimilem diſciplinam incepiſſet, obiit anno Domini 779. 12. Kalend. Maij, ubi triginta ſex pene annis præſuiſſet, anno nimirum, poſtquam Carolus Magnus contra Saracenos pugnavit.

2. *Gangolfus*, aliis *Landolphus*, ſucceſſit Stormioni anno Salutis per Chriſtum reparatæ 779. cuius anno duodecimo Carolus, devictis Avarorum gentibus, privilegia & immunitates Eccleſiæ Fuldenſi ſub Stormione conceſſas ratas habuit. Qua occasione pius pater orientale templum miro conſtruxit artificio, & ædificium S. Petri, à Stormione inchoatum, abſolvit. Conſtruxit & Wolffsmünſter, impoſito ei loco nomine à proprii ſui nominis appellatione. Viceſimo vero nono ejus anno ingens peſtis graſſata Fuldam ferè exhaustit: demùm poſitis pii regiminis habenis, in monaſterio, à ſuo nomine appellato, diem clauſit ultimum, anno ab eo, quo præeſſe cœperat, XXXV. qui annus erat à Salute Chriſtiana 815. ſucceſſore ſibi conſtituto Ratgario anno Domini 789.

3. *Ratgarius*, nobilibus parentibus natus, occidentale templum non minori ingenio minoribusve impenſis, quam Gangolfus orientale conſtruens, utrumq; conjunxit: deinde Montem Episcopi dictum (quoniam D. Bonifacius ibi ſedem novæ Chriſti ſcholæ vicinam ſibi delegerat) honori B. Mariæ, conſtructo etiam ibi monaſterio, dedicavit, unde & nunc Mons B. Mariæ Virginis vocatur. Cumq; ſedecim annis ſub Carolo Magno & Ludovico Pio Imperatoribus laudabiliter præſuiſſet, à fratribus accuſatus Abbatia ſeſe abdicavit anno Chriſti 805. & in Monte D. Virginis à ſe ſacerato, quod reliquum erat vitæ, conſummavit anno Domini 826.

4. *Egilo*

4. *Eygilo* successit Abbati *Rotgario*, parentibus Noricæ regionis ortus admodum nobilibus. Hic cognatus fuit *Stormioni*, qui duas templi cryptas porticus, alteram ad orientem, alteram ad occidentem conjunctas a *Rotgario* contruxit. Deinde in cœmeterii monte, qui ab ipso *Michaeli* Archangelo dedicatus est, unde & nomen ei contigisse dicunt, templū miræ artis locavit, ad formam *Dominici* sepulchri, quod *Hierosolymis* visitur. Nam unius lapidis solido fundamento tota innititur domus, & culmen tecti uno lapide clauditur, quo in loco sepeliri etiam voluit. Siquidem paucis priusquam moreretur diebus, quatenus ob infirmam valetudinem non detinebatur, sarcophagum suis adornavit manibus, & sepulturæ locum fratribus ostendit, ubi conditus quiescit mortuus anno 824. Horum duorum, nempe *Ratgarii* & *Eygilonus*, *Herveldensis* ille, *Chronicorum* scriptor, monachus non meminit, quod miror equidem, cum uterq; inglorius non vixerit.

S. Michaelis mons: vel Michaelicon.

5. *Rabanus*, cognomine *Magnentius* *Maturus*, patria *Fuldensis*, *Eygilonem* excepit, anno Domini 825. vir in divinis scripturis eruditissimus, & scientia seculari doctissimus, *Bedæ* Angli olim discipulus & *Gymnasii* *Parisiensis* professor, *Philosophus*, *rhetor* & *astronomus*, suiq; temporis *Poetarum* nulli secundus, cui nec *Italia* similem nec *Germania* peperit æqualem. Quibus rebus argumento sunt tot & tanta volumina ipsius divi ingenii monumenta. Nam ut eruditionem tanti viri omnes *Bibliothecæ* nobis commendant, ita quantum ingenio valuerit, *liber de laudibus Sanctæ Crucis*, *Imperatori Pio Ludovico* dedicatus, evidentissime probat, qui quamvis diversarum immutabili varietate figurarum mirifice sit distinctus, omnium tamen figurarum characteres, quocunq; veritas, certam sententiam reddunt. *Bibliothecam Fuldensem* tanta librorum multitudine locupletavit, ut dinumerari vix queant. Demum cum se totum divinis libris scribendis dare vellet, posthabito regimine in montem *D. Petri* sese contulit, eoq; fratres studiorum suorum æmulos collocavit, ubi *Biblica* scripta omnia discipulis enarrans, commentariis ea in hunc usque diem extantibus illustravit. Deinde cum

Rabanus Maurus.

Liber de laudibus S. Crucis.

*Mons S.
Joannis.*

cum multitudo fratrum rumore piæ conversationis creviffet, aliud monasterium in Monte Joanni Baptistæ sacrare constituit. Mortuo interea Archiepiscopo Moguntino, Otgario, vocatur à Monte Beati Petri ad sedem Moguntinam anno Domini 847. ab ipso Imperatore Ludovico II. Moritur autem, cum decem annis principatum Moguntinæ sedis habuiffet, successore Carolo, Aquitaniæ Duce. Sepultus est Moguntinæ ad S. Albanum, in sacello D. Bonifacii, qui locus tamen ob chori novam structuram nunc non agnoscitur, & ipse postea in patriam translatus scribitur.

6. *Hatto*, primus Rabanum in Abbatia administratione anno Domini 847. sequitur, vir mansuetissimus, verum in rebelles durissimus. Hujus lenitatem & gravitatem fratres Mosaiica lenitati & in corrigendis vitis ejusdem feveritati conferre solebant. Hic servatæ virginitatis laudem terras relinquens secum tulit. Obit autem anno 862. *Hersveldensis* monachus (nam diligentis viri nomen ignoramus) Rabano subjecit *Waldonem*, cui amoto *Thiedonem*, quem *Hattoni* successisse novimus, substituit. Sed *Waldo* is ipse forte est, quem nos *Hattonem* appellamus.

7. *Thiedo*, sive *Diedo* malis, succedit *Hattoni*, sive (ut *Hersveldensis*) *Waldoni*. Hic erga pauperes liberalissimus secundum præscriptum Evangelii, ne ejus sciret sinistra, quod dextra fecisset, fuit. Hic utrique templi parti & orientali & occidentali porticum adjecit. Cumq; annis octo integerrime præfuisset, quod Regia mandata contempsisse insimularetur, dignitate amotus est eodem anno, quo & moritur, nempe à salute Christiana 869.

8. *Sigenhardus* in amoti seu *Thiedonis* sive *Theodonis* locum constituitur, volente Rege Ludovico. Hic non minus *Rabanô* sudavit, nempe, ut fratres pie viverent & literarum studiis dediti essent; sed ut monasterii ædificia etiam facta & tecta essent, providit. Construxit pontem lapideum, centum & viginti cubitos mensuræ virilis in longitudine habentem: cumq; sex penè annis pie præfuisset, principatum renuntians secessit in montem *Divi*

*Pons lapideus
Fuldensis.*

Divi Joannis, ubi pietati & literis sese dedens, functus vita est anno 874.

9. *Hoigerus* (cedente paululum ante mortem suam *Sigenharde*) substituitur, alibi *Huggius* dictus, vir augustæ dignitatis & vere magnanimus. Hujus & sequentium trium usque ad *Hadamarium* *Hersveldensis* Chronographus non meminit. Magnanimitatis ejus indicio sunt pagani, Normandi nimirum, fines Gallorum & Germanorum ea ætate ingressi & ab hoc fortiter repulsi, non quidem sine privatarum rerum detrimento, sed cum publicarum tamen salute. Hic feretrum, quo reliquiæ Divi *Bonifacii* servantur, auro, argento & gemmis exornavit. Præfuit autem 26. annis. Obiit anno Domini 900.

10. *Helmfridus*, functo vita *Hoigero*, Ecclesiæ *Fulden*si præficitur anno Domini 900. Hic vir miræ probitatis disciplinæ suæ creditos fratres exemplo ad æmulandum movit, muroque primus monasterium cinxit, & cætera ædificia vetustate collapsa instauravit. Crucem auream, margaritis insignibus conspicuam & gemmis, dedicavit. Cum scholam sibi commissam domi sancte vivendo, foris muniendo ornandoque fundasset, obiit regiminis sui anno 16. fratribus sui desiderium relinquens maximum, Christi vero anno 916.

11. *Heichio* successit *Helmfrido*, de quo nihil memorabile comperitur, quod an incuriæ scribentium, an temporis, quo præfuit, angustia adscribendum sit, dubium est. Octo vero annis administrato *Fulden*sis Abbatia regno mortuus successorem accepit *Hildebrandum*.

12. *Hildebrandus*, *Ostrofrancorum* Dux, constituitur Abbas anno Christi 925. Hic autoritate *Moguntinensis* catalogi, *Hilberti* nomine citatur, vir nescio vitæ ne sanctitate an literarum cognitione magis celebrandus. Prædicatur enim spiritum propheticum habuisse. Cujusmodi autem magistratum gesserit, vel hinc conspicuum est, quod ubi tribus præfuisset Ecclesiæ *Fulden*si annis, ad Archiepiscopalem *Moguntinæ* cathedræ sedem vocatur, nec judicium sefellit eorum, qui dignum censuerant, quem tantæ dignitati præficerent. Decem enim annis admini-

Abbas
Fulden-
sis desi-
gnatur
Rom.
Pontifex.

strata auctaq; provincia pie moritur, qui pie vixerat. Decessit vero anno Domini 938. Sepelitur Moguntia apud S. Albanum. Legitur designatus summus Pontifex, sed citius evocatus rebus humanis, quam Romam migraret.

13. *Hadamarius* Fuldenfis Ecclesiae functioni praeficitur, transmissio Hildebrando sive Hilberto Moguntino. Is Pii cognomen virtute sua meruit, datamq; provinciam administravit 28. annis, in annum videlicet 956. quo ex hac mortalitate ad immortalem vitam concessit. Intercedunt igitur ab electione Sigehardi, usque ad mortem Hadamarii hujus, secundum supputationem fratris Hersveldensis, qui alterius electionis & mortis alterius tantum meminit, anni octuaginta septem. Unde satis constat, superiores quatuor ab Hersveldensi intermissos. Praefuit igitur Sigehardus annis sex, sedensq; in monte S. Joannis, Hoigerum accepit successorem annis viginti sex. Deinde secutus est *Helmfridus*, rexitq; annis sedecim.

Qui numerus si non fallit, constat, anno proximo, qui mortem hujus Helmfridi antecessit, vastantes omnem viciniam Ungaros Fuldam venisse. Praefuit deinde *Heichio* annis octo, post quem *Hildebrandus* annis tribus: qui Archiepiscopus Moguntinus designatus successorem Abbatiae accepit Hadamarium, cujus Hadamarii anno sexto famosissimum illud Fuldense monasterium igne consumitur una cum templo, quod ab ipso Hadamario non minoribus impensis est instauratum, quam ab antecessoribus fuerat constructum. Ottone autem rege tum in Hersvelde agente, hoc incendium ortum est. Hujus Abbatis fidei Fridericus, filius Regis Franciae (quam vero ob causam, non satis constat) sub monastico habitu custodiendus traditur. Sub hoc ipso etiam Abbate pleriq; fratrum Fuldensium contraxerunt matrimonia, cujus tamen rei exitus nusquam invenitur. Obiit Abbas ille anno salutis nostrae 956.

Fulda in-
cendio
perit.

Monachi
ducunt
uxores.

Honores
non con-

14. *Hatto*, cognomento *Bonosus*, subrogatur mox in defuncti locum. Is cum egregii animi specimen per duodecim dedisset annos, in Archiepiscopum eligitur Moguntinum. Dignus enim est majori functione, quisquis inferiorem pro dignitate ad-

ministrat. Turpissime autem labitur, quisquis, cum ad culmen ^{serunt} honorum ascendit, licere sibi putat, quidquid libet. Utriusque ^{quidvis} exemplum sese præbuit Hatto. . Hic enim, cum fame ingruen- ^{agendi li-} te pauperes non haberent, unde alerentur, multitudinem egen- ^{centiam.} tium in horrea quædam, ut quæ alimoniam ibi & frumenta ac- ^{Archie-} ceptura esset, vocatam admotis ignibus combussit. Demum à ^{piscopus} muribus corrodentibus ipsum iusto Dei iudicio in medio Rhe- ^{devora-} no, prope Bingam, consumitur, cuius futuræ pestis præfagium ^{tur à mu-} erat, quod nomen ipsius è pictis quoque parietibus mures, adhuc ipso incolumi, abrodebant. Factum id legitur anno Domini 969. cum præfuiisset Moguntia undecim saltem mensibus. Indignus est, cuius nomen duret, quisquis (cum beneficiis fortunam faventem demereri posset) ut male audiat, magis meretur.

15. *Wernerus*, aut (ut in Othonis Imperatoris diplomate legitur) *Werinbarius*, filius materteræ Divi Udalrici, Episcopi Augustensis, subrogatur Hattoni anno 969. Hic Paradisum circumiacentibus ædificiis ornavit, sacellumque in ambitu ædificiorum, quod D. Udalricus Episcopus S. Joanni sacra-avit, postea collegium studiis deditorum fratrum pietati nuncupavit, in Borstal, quod ab ipso satis ornatum Canonici ipsius hodierno die possident: demum undecimo sui regiminis anno cum Imperatore Othone II. contra Saracenos in Calabriam profectus, in ea expeditione fortiter pugnans unâ cum Henrico, Augustensi Episcopo, reliquisque fortissimis viris occubuit, Imperatore Ottone vix fuga & subsidio Saracenicæ linguæ servato. Meminit harum re- ^{Abbas} rum *Lambertus Hersveldensis*. Habent & alia Chronica, Cardi- ^{Cardina-} nalem illum fuisse. Occiditur autem anno Salutis humanæ 982. ^{lis.} mense Julio. *Hersveldensis* Chronographus post factam *Werner* mentionem meminit *Branthonis*, quod ex Abbate factus sit Episcopus Halberstatensis, cui deinde successerit *Richardus* in Abbacia.

Idem numerat quadraginta unum annos ab occiso *Wernhero* ad jam dictum *Branthone*, à *Branthone* annos decem & octo ad *Richard* Abbatis mortem, cui deinde *Sigewardum*, sicuti & nos, subjicit. Verum in priori descriptione temporum occisi

Chronologia
 Master id
 Germania
 S. M

cisi Wernheri & Branthonis, Episcopi Halberstatensis, verisimile est, aliquos Abbates interfuisse, licet de tempore non admodum constet.

16. *Brantho*, alibi *Branthochus*, successit Wernhero anno 982. cumq; novem præfuisset annis, moritur anno videlicet 991.

17. *Hatto* excipit *Branthonem*. Is sex annis præfuit, & ex hujus vitæ cremo evocatur anno 997. Aliqui Archiepiscopum Moguntinum designatum affirmant, sed non invenio, sub his temporibus præfuisse Moguntiae *Hattonem* aliquem.

18. *Brantho*, ex Abbate *Laurisheimensi* Abbas *Fuldensis* designatus 997. anno, *Hattoni* rebus humanis exempto, subicitur. Præfuit annis 16. fideliter, vir melioris vitæ, quàm fortunæ, siquidem anno Domini 1013. indicta causa, adversante Imperatore *Henrico Claudio*, loco cessit. Nec deseruere patrem filii, siquidem & illi deserto monasterio passim apud eos, qui & justitiæ & pietati favebant, sedem quærebant: quorum in locum, monachi *Laurisheimenses*, cum Abbate *Poppone*, successerunt.

*Virtus la-
tere non
potest.* Attamen ne virtus in obscuro esset, qui Abbas esse non potuit, Episcopus Halberstatensis virtutis ergò esse potuit. *Hersveldensis Chronographus*, omissis *Poppone* nuper dicto & *Poppone* sequente *Erckenboldo*, *Richardum* subjicit *Branthoni*. Verum nos alienæ invidiæ sive ignorantiae non cedentes, *Poppone* præponimus & *decimum nonum* Abbatem facimus.

19. *Poppo*, *Laurisheimensis*, expulsis fratribus indigenis, succedit cum advenis anno 1013. vir nobili genere, vulgo *aus dem Grabfeld* ortus. Præfuit annis quinque ad annum usque Domini 1018.

20. *Erckenboldus*, alibi *Heriboldus*, Archiepiscopus Moguntinus, *S. Bernhardi*, *Hildesiano* Episcopo & Comiti à *Summorfenburg*, sanguinis propinquitate conjunctus, anno Domini 1018. *Poppone* successit, & monasterii, ex quo antea ad gubernationem Archiepiscopalis sedis assumtus fuerat, pater & gubernator factus est, retento nihilominus Archiepiscopatu. Obiit anno 1020. Sepelitur Moguntiae in templo *S. Joannis*. Circa hæc ferè tempora *Benedictus*, Pontifex maximus, & *Henricus* Impe-

Imperator Fuldam venerunt, veteraque antecessorum privilegia rator Ful-
nata habentes & nova conferentes, ea publice per Archidiaconum densia pri-
proclamari fecerunt. vilegia
confirmant.

21. *Richardus*, quem Hersveldensis Branthoni subjecit, om-
missis duobus proxime dictis, & meminit tamen Erckenboldi
cujusdam, qui eodem tempore Archiepiscopus Moguntinus
obierit, eligitur anno 1021. Abbas Fuldensis. Is vir fuit mirae
abstinentiae, qui mox tamen, liberaliter constructis duobus mo-
nasteriis, scilicet Amorbachensi, quod S. Simplicio sacrauit, & *Amorba-
cense cœ-
nobium.*
altero S. Andreae in ripa fluminis Fuldæ, eodem tempore duo-
bus monasteriis Abbas præfuit. Cumq; esset indefessi inexhau-
stiq; laboris, de loco in locum migrans fratres severa quadam
disciplina coercuit, nec defuit diligentiae licet absens, sed animo
vigili ubiq; præsens experimentum divinæ cujusdam mentis de
se dedit. Erant ejus ætatis monachi, alii in describendis clarissi-
morum autorum monumentis, alii scribendis ac dictandis pro-
priis, alii docendi, alii discendi laboribus ita occupati, ut cadu-
carum frivolarumq; rerum eos facile caperet oblivio. Erat enim
Fulda, pulcherrima Academia honestissimarum rerum & disci-
plinarum, quarum decens cum Christianæ pietatis religione col-
latio mores effrenes non ferebat. Porro ubi harum rerum fri-
guit studium, opus fuit arctiori disciplina & vitæ genere severiore,
nevidelicet ignavo otio animi ad cœlestia generati torpesce-
rent. Hic igitur pius pater habitum monasticum fratribus de-
dit, & tonsuram adjecit, monasteriaq; sua omnia ad D. Benedi-
cti regulam reformavit: moriturque administrationum suarum
anno ferè decimo octavo, Christi nimirum anno 1039. *Monachi
Fuldenses
aliter ve-
stiuntur,
quã prius
consueve-
rant.*

22. *Frigevardus*, aliis Sigehardus & Sigewardus, successit.
Is administrationis suæ anno quarto in Episcopum Hildeshei-
mensem postulatur, contra quem tamen alius ab Imperatore
Henrico III. Episcopatu intrusus legitur. Facilis inde conjectu-
ra est, quantos & quales viros schola Fuldensis enutrierit, ex qua
veluti sapientiæ, eruditionis, ac optimorum morum penu tot
Episcopi, Archiepiscopi & Cardinales, mundo exhausto quo-
dammodo doctorum virorum ingeniis, prodierint. Ex hoc
gymna-

D d

gymna-

Chronologia
monasterio
S. M

gymnasio Pontifices Ecclesiarum præfules, hinc summum Imperium senatores & consiliarios, hinc cæteri Principes rerum suarum tutores & curatores petebant.

23. *Rohingus*, viceſimus tertius Abbas, Sigevardo ſucceſſit anno 1043. Tabulæ ejus (quæ nunc etiam cum admiratione viſitur) architectus ſingularis & liberalis, quam etſi morte præventus abſolvere nequit, neceſſariis tamen rebus comparatis cavet, ne celeberrimum opus infectum relinqueretur, collatis ad operis abſolutionem margaritis conſpiciendis, & auro, quantum ſatis erat. Moritur in comitatu Imperatoris Henrici III. Romæ anno Domini 1047. anno vero acceptæ dignitatis quarto, cum eodem anno in ipſo ſancto Servatoris noſtri Jeſu Chriſti natali ab eo Clemente Papa conſecratus eſſet, qui antea Episcopatu præfederat Bambergensi, ubi Swiggerus dictus legitur.

24. *S. Bardo*, nobilis de Oppershofen ex Wederovia natus, ex Hirsveldensi Abbate Archiepiſcopus Moguntinus factus, gubernandam accepit Abbatiam etiam Fuldenſem anno Domini 1047. ac etſi ſequenti anno à conventu Fuldenſi concordibus ſuſfragiis eligeretur Ecbertus quidam monachus in Abbatem, tamen S. Bardo præcipuus ejus loci gubernator manſit ad annum uſque Domini 1051, quo legitur in Domino obdormiſſe. Inter præcipua ejus opera hoc recenſetur, quod templum à Friderico, Galliarum Regis filio & monacho, inchoatum abſolverit conſecrariq; curavit. Obiit 1051. Moguntia, ubi in medio Eccleſiæ Cathedralis, quo loco nunc pinnaculum S. Martini viſitur, conditus quieſcit.

25. *Ecbertus*, ab aliis Eppo dictus, ab *Hermann*o *Contracto* Eberhardus, eligitur anno Domini 1048. ſtatim poſt Naſalem Domini. Præfuit annis decem, quibus opus, à Rohingo ceptum, ad calcem perduxit, & conſtructo fratrum dormitorio, commodiſſimisq; caſis aliisq; officinis, ſtudiis & exercitationibus fratrum neceſſariis, obiit relicto poſt ſe pietatis & animi præſtantia nomine & gloria anno 1058.

26. *Sifridus*, Baro de Eppenſtein, Ecbertum excipit, vir religioni deditiſſimus, prudentia ſingularis. Quibus nominibus

cum rectae administrationis gloria ad vicinas & contiguas nationes emanaret, post alterum Abbatiae annum in Lupoldi, Archiepiscopi Moguntini, defuncti locum subrogatur, auctore Henrico IV. dehinc ad invidiam Imperatoris à Gregorio Papa summovetur, mox tamen restitutus per Urbanum Pontificem. Hic Ecclesiam B. Mariae ad gradus cognominatam aedificavit. Moritur reversus ex peregrinatione Divi Jacobi Compostellani ac Hierosolymitana cum Archiepiscopis, Treverensis & Coloniae Ecclesiarum, Engelberto & Annone, anno Dñi 1284.

27. *Wideradus* ejusdem familiae, Baro videlicet de Eppenstein, ejusdemq; cenobii monachus, successit Sifrido in Abbatiae gubernatione anno Domini 1060. Hujus Abbatis res & fortunas omnes, concertationem item cum Echilone, Episcopo Hildeshemensi, Fuldensiumq; monachorum seditiosas in eum conspirationes & actiones, non minus verè quàm eleganter describit *Lambertus Schaffnaburgensis*, Chronographus Hirsveldensis, in celebratione anni Christianorum 1063. idcirco supervacuum arbitramur quicquam eorum huic brevi saltem catalogo adjicere.

Porro ipse Abbas in expeditione Imperatoris frequens, cum Imperatori secutus versus monasterium Breittingen iter arripet, jam provectae, imo confectae potius aetatis, in ipso curru suo frequentium militum magno strepitu & ingenti pulveris motu suffocatur & in monasterium Breittingense semianimis delatus moritur anno 1075. Satis constat, Ecclesiam Fuldensem plus aequo hujus Abbatis tempore afflictam fuisse. Siquidem Rupertus Bamberger, homo omnium, quos mundus habuit, ambitiosissimus, ingenti pecunia emit, ut, eximio sanctitate viro *Widerado* amoto ipse Abbas Fuldensis designaretur. Sed jure frustra impendit pecuniam, qui usum pecuniae ignoravit.

Anno igitur salutis nostrae 1075. Imperator Henricus IV. ex Breittingensi agro Wormatiam reversus, altero adventus sui die, undecima videlicet Kalendarum Novembrium, ad eligendum Fuldensem Abbatem cum Principibus assedit. Grandis erat inter Abbates & monachos, qui ex diversis locis confluxerant,

D d 2

Discordantes in-

Burgpreitingen ad Wer-ram vel Visurgin fluvium.

*Chronologia
monasterio
S.M*

ter se Mo
nachi ob
Abbati-
am conse-
quendam

Henrici
IV. pru-
dentia in
eligendo
Abbate
Fuldensi.

ant, concertatio: siquidem, veluti solemniter indicto certamine Olympico, singuli pro viribus accelerantes, alius aureos montes, alii alia beneficia ex Fuldenſi ditione, alius conſuetis majora in rempublicam ſervitia promittebat: nec modus erat promittendi nec pudor ambiendi, quorum Imperator in hac ſaltem parte ut prudens, ita religioſus impudentiam, ut dignum erat, deteſtatus, cum hinc inde importune obtundentium precibus urgeretur, veluti divino, ut creditur, ſpiritu compulſus, monachum quendam Hersveldenſem, pium & doctum *Ruthardum*, aliis per vocis diminutionem *Ruzelinum* dictum, qui pro cauſa monaſterii Abbatis ſui juffu ad Curiam venerat Imperatoris, in medium evocat. Et nihil minus ſuſpicanti, etiam inopinatae rei miraculo pene exanimi, plurima item alleganti, quibus ſeſe excuſaret & gubernationis onus potius, quam honorem à ſeſe removeret, baculum paſtorales offerens, primus Imperator Abbatem cum eligit, deinde apud cæteros tam monachos quam ſeculares, ut electioni conſentiant, obtinet: ita cunctis, qui ad-erant, lætiſſima acclamatione ſuffragium ferentibus *Ruthardus* provinciam ſubire cogitur. Hic fratribus ad B. Virginem, & ad D. Michaelem Deo ſervientibus providit & cavuit, ne quid ad alimoniam deeſſet. Moritur anno Dñi 1096. regiminis ſui 21.

29. *Gottfridus*, aliis *Gotthardus* nominatus, mox (ſed parum proſperis auſpiciis) magiſtratum accepit, ſiquidem hoc Abbate Eccleſia Fuldenſis miris affligitur modis, tam domeſticis quam externis videlicet malis. Cauſa enim externorum malorum erat diſſenſio inter Imperatores Henricum IV. & V. patrem & filium; unde domeſtica mala mox ſunt ſecuta, ſiquidem deſuncto Imperatore patre, cujus partibus faverat *Godfridus*, accuſatur à ſuis apud filium principis deſuncti, quod bona Eccleſiæ commiſſæ prodigaliter peſſundaret & laicis neſcio quibus non magni momenti hominibus erogaret; domeſticis interim fratribus neglectis & ſubtracto eis ſolito diſmenſo. Prævaluit igitur accuſatio in tantum, ut amotus ab officio & dignitate, cum religionis ergò Coloniam migraret, moreretur etiam illic anno geſti magiſtratus decimo tertio, Chriſti vero anno 1109.

30. *Wolff-*

30. *Wolffhelmus* amoto Godfrido succedit, nihilo meliorem quam antecessor expertus fortunam. Urgentibus siquidem rebus arcem *Häfelstein* obsedit non sine jaetura rerum monasterii. *Häfelstein.* Ingenii tamen industria plurimum claruit, susceptis infinitis laboribus. Cumq; Imperator *Henricus V.* & *Ludovicus Dux* pro *Thuringia* inter se digladiarentur, & *Abbas Wolffhelmus* societate cum *Abbate Hersveldensi* inita, *Wartenburgum* castrum obsideret, captus ibi per triennium in arce *Mülzenberg* servatur, sed tamen postea liberatur Imperatoris beneficio. Hinc sacellum *S. Alexandri* inter murum & vallum, quod muro obiectum est, dedicavit. Cumq; graviter à suis accusaretur apud *Cæsarem*, ut inconsultus *Ecclesiae* suae bonorum dilapidator, amoveretur anno regiminis sui quinto, quo & moritur, anno videlicet *Domini 1114.*

31. *Ebrloffus*, monachus *Murbacensis*, ab ipso Imperatore *Henrico V.* intruditur. Erat vir sublimis ingenii, prudentiae singularis & facundiae rarae, quibus virtutibus si uti magis quam abuti voluisset, tanto multis mortalibus fuisset praestantior, quanto prudentia & eloquentia conjunctae sunt rariores. Praefuit quidem annis octo, sed non modo non profuit, imo plurimum etiam obsuit, dum aliena potius, quam sua curat. Sub eo monasterium penitus collapsum est anno salutis humanae 1120. sexto sui regiminis. Coepit tamen munire *Häfelsteinium* & *Mülzenburgum* arces: suscepta tandem cum *Brunone*, *Spirensi Episcopo*, totius regni ad sedem Apostolicam legatione, *Wormatiam* inde ad Imperatorem reversus, moritur altero lapsi *Ecclesiae Fuldensis* status anno post natum Christum 1122.

32. *Udalricus*, *Abbatiae Fuldensis* praefectus, benedictionem accepit *Romae* à *Pont. Max. Calixto II.* vir optimae conversationis, integer & liberalis, qui coepit instaurare monasterii lapsi ruinas. Cumq; utramq; porticum, orientalem videlicet & occidentalem, jam penè absolvisset, ruit & occidit iterum adversante fortuna is, qui (ne status totius *Ecclesiae* funditus corrueret) autor fuerat, *Callistus* videlicet *Pontifex*. Venit ergo legatus quidam alterius *Papae Honorii II.* *Fuldam* cum Imperatore *Lothario*, qui

Wartenburg
Chronologia
monasterio
virtutum
abusus
Mülzenburg
S. M



qui tam cives quàm fratres, invitos etiam à juramento & votis Abbati huic præstitis absolvit, ad invidiam (ut apparet) defuncti pontificis Calixti. Amotus igitur Udalricus Abbas anno Domini 1127. Herbipolim secessit, nihil immutans à priori vivendi ratione, veluti qui injuriam illatam non sentiret. Ibi igitur mortuus quiescit. Præfuit annis quinque.

33. *Henricus* de Kemmenata, Decanus Fuldenfis, in amoti Udalrici locum sufficitur, præfente Lothario Rege, vir magnæ facilitatis & modestiæ, quibus virtutibus facilius amorem sibi conciliavit omnium hominum. Acceptis ergo à scepro regio regalibus & fidelitatis præfesto juramento, ita cœpit præfesse, ut spes nemini non effret, illum instauratorem futurum accepti regiminis. At cum reverso Fuldam Lothario, animadverteret Ecclesiam fidei suæ commiffam valde periclitari, thesauros diripi, cultum religionis negligi, sibiq; magis in expeditionibus Imperatoris, quàm religionis studiis versandum & plurimam servitiâ, præter æquum & justum, Imperatori præstanda esse, obtrusam ille Abbatiam iterum in manus Regis resignavit. Nihilo tamen secius in Episcopum paulo post Frisingensem promovetur, auctore *Qithone Frisingensi Chronographo*. Non potest latere virtus, quocunq; loco fuerit.

34. *Berthous Schlicko* vel *Schliczius*, ejus familiæ, quæ hodie adhuc in Buchovia cognomento Gorcensi celebris est, ad Fuldam fluvium præpositus major, eligitur in Abbatem anno 1133. vir ingenii magni, quod dicendi studio præclare excoluit, non deserta interim genuina probitate. Mox ab electione cum Imperatore Lothario Romam profectus benedictionem à Pontifice, regalia ab Imperatore accipit, adjunctis novis privilegiis gestandæ mitræ, baculi, annulorum, cæterorumq; Pontificalium ornamentorum. Scio hæc à plerisq; pro contemptu haberi & ambitioni quàm religioni viciniora. Verum si cætera non defint, pietas erga Deum, lenitas & mansuetudo erga subditos, prudentia & solertia rerum gerendarum, honesta & tuta vitæ ratio sine offensione, dispeream, nisi hæc ornamenta nescio quid mereantur authoritatis apud eos, quibus præfis, & spiritus afficiunt in-

*Fuldenfis
Ecclesie
miser sta-
tus.*

*Abbas or-
namenta
Pontifi-
calia con-
sequitur.
Ornamen-
ta sacris
personis
non dene-
ganda.*

tuentium. Quo enim deterioris fuit conditionis Aaron in tanto pretiosissimarum rerum ornatu? Animus siquidem est, qui ornat & deformat: habitus exterior, prout animus fuerit. Accidit sub hoc Abbate, ut, orta seditione & contentione inter ipsius & Archiepiscopi Magdeburgensis ministros de primatu sedendi, lis tanta dijudicanda ad Imperatorem etiam ipsum perveniret: ubi magnanimitate agente hanc suam causam Abbate, ipsius Augustæ Imperatricis (cujus perpetuus Archicancellarius est Fulden-
Abbas
Fuldensis
sessione
prior
Magden-
burgensi
Archie-
piscopo.

35. *Comradus*, præpositus major Ecclesiæ Fuldenfis, consilio & autoritate Divi Bernhardi, Abbatis Clarevallensis, Abbas designatur anno salutis Christianæ 1134. Huic gloriam & auctoritatem religio, liberalitas & temperantia faciebant, ita ut mox à Cardinale legato confirmaretur. Hic novis beneficiis montem D. Petri locupletavit. Sex continuis annis fuit in expeditione Imperatoria non sine magna autoritate per Italiam, Galliam & Germaniam. Defunctus tandem septimo electionis anno in monte S. Petri sepelitur extra Fuldensem urbem.

36. *Alerholffus* Conradum sequitur anno 1140. præficiente illum Imperatore, consentientibus omnium animis. Fuit durus in fratres, inhumanus erga omnes. Quare cum non admodum sincere provinciam administraret, & alia quoque mala suborirentur, per Eugenium Papam exauthoratur administrationis anno octavo.

37. *Ruggerus* diaconus succedit Alerholffo, tantæ probitatis vir, quantæ improbitatis fuerat antecessor, quo placabilior omnium consensu electio fuit, cum ille nihil minus vellet, quam sese eligi, & quibus posset, viribus obniteretur. Sed quod ipse recusabat integritas, summa Cæsaris exigebat majestas: siquidem Henricus Imperator, Lotharii gener, dignum hunc judicabat, quem ad Concilium mitteret Remense, quo missus, quibus poterat, modis omnibus obtinuit à Pontifice, ut sibi privato vivere liceret, quod obtinuit annuente tandem etiam Rege in electionem Henrici Hersveldensis. Quare Ruggerus non integro tandem

Chronologia
Magister id
S. III

dem expertus anno, quanta esset commoditas privatorum, incommoda magistratuum conferens secessit in montem Beatæ Virginis, ibiq; se includens mentem ad divinarum rerum studia & contemplationem convertit, ut quæ à fordibus secularibus aliena esset & liberrima.

38. *Henricus* autem, sub quo status Fuldenfis ecclesiæ variis casibus affligebatur, duobus tantum annis præfuit, & videns res Fuldenses afflictas, cum fratres etiam conditionem miseriarum suarum non modo apud Pontificem Romanum, verum etiam apud Imperatorem, qui tum apud Treveros agebat, deplorarent, cessit male propitiæ fortunæ, initoq; consilio cum fratribus, liberum ipsis permisit, undecumq; vellent, idoneum Abbatem quærere. Elegerunt igitur summo illis favente Imperio, consentientibusq; vicinis Principibus, Marquardum Bambergensem ex montis monachorum cœnobio accitum, confirmandumq; summo Pontifici tradiderunt.

Hafelstein.

Fulda muro comunitur & fit civitas.

39. *Marquardus* igitur electus ita, ut dictum est, concordibus omnium suffragiis, confirmatus etiam anno 1150. expositus variæ fortunæ casibus, quò tutius ipsis resisteret, arcem Hafelstein, ab antecessoribus per vim occupatam, pecuniis numeratis persolvit ac emit: Fuldam vero muro munivit civitatemq; fecit. Arcem Eberstein vi coepit: turres duas suspendendis campanis erexit: sanctuarium orientale & D. Virgini olim nuncupatum instauravit. Instaurata vero & cryptoporticu, in aulam accersitus à Friderici Imperatoris latere nunquam per integrum annum cessit, exhaustusq; ibi laboribus tandem Abbatiam his, à quibus eam acceperat, reddens ad monasterium Bambergense reversus est anno gubernationis suæ 14. Verum Imperator ex Italia rediens & è Fulda eum abiisse audiens, præposituram montis novi in Bischoffsheim ei possidendam tradidit, ubi tandem mortuus & terræ redditus est.

40. *Hermannus* Hersveldensis anno 1165. in Abbatem eligitur, qui, cum non minori autoritate & sedulitate, quàm antecessor, Imperatoris lateri adhereret, eumq; per Italiam comitaretur, à Paschali quodam, Pontifice Romano, confirmationem accepit

accepit, impetratoq; privilegio minores ordines Episcopali auctoritate conferendi, languore confectus obiit, anno sui regiminis tertio, anno Christi vero 1168.

41. *Burcardus*, Hersveldensis monachus, non minus publico, quam privato malo Abbas designatur anno, qui à Christiana salute numeratur 1168. homo prorsus vefanus & perfrictæ frontis, qui mira asperitate & inhumanitate fratribus & victum & amicum subtraxit, bona Fuldenfis ecclesiæ abalienavit, quæ ab alienare nequiesset, devastavit, ad extremum collectis rebus pretiosioribus & suppellectile principali, vehiculo in Wetterebiam vel Wetteroviam, qua potest, celeritate profugit: ubi cum valedudinarius decubivisset, animam excommunicatus efflavit, defunctusq; in modica cellula monasterii monialium (quod Rheteris vocant) ibidem sepelitur, cum octo annis neq; sibi neq; aliis profuisset.

Rheters
ceno-
bium.

42. *Ruggerus* diaconus substituitur Burcardo, integer faucio, sanus vitioso, optimus deterrimo. Hic enim non minus literis, quam pietate insignis Abbatiali vestitu ornatur in Italia, unde reversus Xenodochium pauperum (quod hodie in Fuldenfi oppido visitur) construxit annisq; pensionibus dotavit. Cumq; duobus tantum præfuisset annis, abdicato principatu, in montem D. Virginis, præpositus factus, anno Domini 1178. secedit, & ne deterioris in præpositura, quam Abbatia, vicemungeretur, montis sacri ædificia ampliora augustioraq; fecit, & ibidem quoq; hospitalem pauperibus domum locupletavit: cujus pietatem literæ quoque ornant, siquidem Bibliothecam quoque construxit, eamq; optimorum authorum insignibus decoravit monumentis. Ad extremum valetudine adversa correptus, bonam vitam bono fine finivit.

Xenodo-
chium.

43. *Conradus*, diaconus & præpositus in Solæ Abbatis curia, vulgo *Solhoven* / ingenti multorum mortalium consensu Abbas eligitur absens anno 1179. quare, dum in Italiam Friderici Imperatoris salutandi gratia proficiscitur, ab eodem magna excipitur benevolentia & regalia majorum more recipit: mox Romanam profectus sacerdos ordinatur, accepta simul coronatione &

Ee

bene-

fulden
Chronologia
monasterio
S. M

benedictione, quæ Abbates decet. Deinde Fuldam reversus, cum vix præfidere cœpisset, mox in eum factio oritur ingens, quod Crucem auream, mille talentorum precio æstimatam, Imperatori daturum sese promiserat. Obtinuit vero conventualium consensus, ut crux illa (lenito aliis rebus Imperatore) Fuldæ maneret. Moritur autem Conradus anno principatus sui 13. Christianorum anno 1192.

44. *Henricus* de Cronnberg magistratum accipit. Hic primum monachus Cambergensis, amicorum auxilio Præposituram S. Joannis accipit. Deinde, mortuo Conrado, rursus eisdem amicis causam fideliter apud Imperatorem agentibus, (licet indigenis Fuldenfis ditionis ægre ferentibus) violenter Abbas intruditur: intrusus parem volentibus eum Abbatem gratiam refert. Pleraq; enim prædia alienavit, feuda Ecclesiastica profanae conditionis & fortunæ viris concessit, fratribus dimensum ciborum diminuit & vestitu leviori amiccivit. Quapropter, gravi orta dissensione, fratres causam ad summum Pontificem deferunt, quod ubi Abbas comperit, diem statuit convocatis utriusq; partis factionibus sui purgandi causa, quo die correptus morbo Abbas interiit: defunctum monasterii Advocati honorifica dignantur sepultura 24. tyrannidis anno, incarnati Verbi 1216.

45. *Hartmannus*, montis S. Petri præpositus, in defuncto locum succedit, qui eodem anno, quo electus est, priusquam confirmaretur, obiit.

46. *Cuno* de Elevaco, forte Elewangen, *Gottboldus* cognominatus, Abbas Elefancensis, egit interim causam monasterii apud Imperatorem Fridericum II. Mortuo igitur Hartmanno, pauci fratrum pro more etiam tantum apud Imperatorem effecerunt, ut is reliquis licet invitis Abbas tamen designaretur. Vir erat in secularibus negotiis non parum strenuus, & quia confirmationem à sede Apostolica non acceperat, renuerunt ei fratres solitum præstare juramentum. Quarto itaq; anno gubernationis suæ ad Abbatiam Elefancensem rediit.

47. *Conradus* de Malcks subrogatur, año 1220. Hic ex Hamelburgo oppidum fecit, juxta veteres versiculos:

Hamel-
burgum
fit oppi-
dum.

Abbas

Abbas Conradus, de Malckos nomine dictus, Hamburg circumdat muris & moenia fundat.

Confixit graviter cum Episcopo Herbiolenfi, Hermanno, Barone Lodenburgio, propter has ipsas civitatis Hamelburgensis inceptas & tandem etiam absolutas munitiones. Episcopus, volens civitatem occupare, ab Abbate fugatur, multi equestris ordinis capiuntur, quos Episcopum certis conditionibus redimere oportebat. Fuit utilis gubernator, siquidem præter cætera, archidiaconatum & jurisdictionem synodi perpetuis temporibus Fuldenfæ ecclesiæ contulit. Talis igitur cum esset, nempe commodorum commissæ sibi ditionis studiosissimus, Abbatia tandem anno Domini 1248. renuntiavit, quam annis 28. bona fide rexerat. Legitur ex hac mortali vita concessisse ad aliam anno 1249.

48. *Henricus, de Ertell, vel Ehrfall, Nobilis ex Buchovia natus.* Is ex decano Abbas factus successit resignanti Conrado anno 1248. quo tempore, cum Imperator Fuldæ esset, Hersveldenses graves querimonias in Abbatem cœnobii sui adferunt, quibus motus Imperator hunc eundem Henricum Hersveldensibus quoq; Abbatem destinat: cumq; utriq; monasterio optime consultum vellet, cives Hersveldenses (quibus mos, unde deductus nescitur, Abbatibus suis potius præesse quam subesse) Abbatem Wernherum, nuper motum dignitate, repetunt. Quare noster Abbas suis contentus finibus, eos munire contra vim prædonum statuit. Hamelburgum enim muro prius circumdatum magis munivit, similiter & Mackhenzell, Bruckenaw, Neugenhoften, patriam Ewaldi à Creutzenach, Stoltzbergum muris, vallis & fossis cinxit: munitiones vero & arces raptorum diruit, Jogbergum videlicet, Witterspergum, Trumpergum, Kralukium, Muglerium, Malckes, Bimbach, Eschenbach & Luther; quarum ruinæ hodiernis temporibus videntur: prædonesq; ex omni ditione sua fortiter profligavit: mox cives Hersveldenses temeritatis suæ pœnituit, quum magnanimitatem & cæteras huius viri virtutes exploratas haberent. Quare veniam erroris deprecantur, & hunc ipsum, quem principem ferre noluerunt, tu-

Civium Hersveldensium auctoritas.

Abbas ex rapto venium Nobilium hostis victoriosus.

Chronologia
Abbas Conradus
S. M.

torem & patronum fortunarum suarum experiuntur, recipientes anno 1258. Obiit autem anno redemptionis nostrae 1261. cum tredecim fere annis laudabiliter praefuisset.

149. *Bertholdus* de Leupolds, Praepositus montis D. Petri, successit Abbati Henrico anno 1261. & tam principem quam patrem suis sese exhibuit. Arcem enim Haselstein cum praediis & pagis adjectis comparavit. Oppidula Lutterpach & Bridenbach a fundamentis construxit & munit. Publicas vias a latronum incurfionibus repurgavit & tutas fecit, praestititq; tam peregrinantibus, quam incolis pacem ac securitatem; siquidem circumjacentium centaurorum quorundam latibula & praesidia, quae antecessor aliis negotiis, distractus intacta reliquerat, quaeq; sub-

Blanckenwald cenobium.

Iterum vastantur latibula latronum.

Abbas ad aram truncidatur.

Paricidae ad arcem Steinaw confugiunt: occisum vero patrem fratres & cives cum fletu & planctu eodem loco, ubi caesus erat, conditum reponunt.

150. Bertholdus de Mackencell, nobilis Buchoviae, praepositus S. Andreae, eligitur in Abbatem anno 1271. homo admodum simplex & negotiorum secularium inexpertus: attamen videns, in magistratus sui functione requiri animum fortem & strenuum, exemplo Bruti ejus, qui primus reges Romana urbe ejecit, omni posita stultitiae sive ignaviae simulatione, antecessoris mortem strenue ultus est.

Asylum malorum evertendum.

Asylum namq; in quod se paricidae receperant, succendit igne: paricidas numero triginta gladio percussit, combustis equis viginu duobus. Porro cum confirmationem suam plus anno distulisset a sede Apostolica accipere, in periculum venit alterius Abbatis eligendi. Quare inita amicitia, Wernherum,

herum,

herum,

herum; Archiepiscopum Moguntinum, genere Comitem à Falckenstein, defensorem suarum partium & tutorem accipit. Otto vero inde magno schismate, cum Wernherus adverteret, Fuldensem ditionem accepturam ex tali discordia cladem aliquam, sponte cessit primo adhuc tutelæ suæ anno.

51. *Bertholdus* de Bimbach, vir nobilis ex Buchovia natus, decanus antea ecclesiæ Fuldensis & præpositus montis S. Petri, cedenti Bertholdo substituitur anno redemptionis humanæ 1274. In hoc visum est iterum lumen veluti Fuldensis Ecclesiæ oriri velle. Postquam enim confirmationem Pontificiam impetrasset in concilio Lugdunensi à Papa Gregorio X. è Roma reversus in patriam latibula prædonum & latronum præsidia nonnulla funditus subvertit. Destructæ sunt enim ab eo arces Hunna, Mackenzell, Manspach, Bimpach & Aldenburg, cumque vir magnanimus octo præfuisset annis, regis nuntiis anno Domini 1282. Moguntiam vocatur. Imperator vero administrationem Fuldensis ditionis Eberhardo Comiti cuidam de Zigenheim commisit. Eberhardus vero Bertholdum quendam de Liesburg sibi substituit, unde Ecclesia Fuldensis per 4. integros anno vulturibus commissa, quantum miseriarum exantlarit, difficile est dictu.

52. *Marquardus*, Baro de Bickenbach, ex decano ecclesiæ Fuldensis Abbas creatur anno Domini 1286. consensu Regis Rodolphi, & veteri more à Pontifice creatur confirmaturque. Quantæ & quàm eminentis prudentiæ erat, tanto hostibus idem terrori fuit: & quod Principem decet, erga bonos clemens admodum, erga malos severus, utrisque condigna largiebatur præmia. Hujus Principis altero anno monasterium Fuldense igne absumitur. Quare inuito consilio cum senioribus & potentioribus facultates suas omnes pro reficiendis sacris ædibus impendit, multa contribuentibus & cæteris bonis & piis hominibus. Deinde oppidulum Nittershausen, quod apud monasterium Cellæ situm est, numerata pecunia redimit: emta insuper arce Fischburgo. Cumque venefica quædam letale malum chirothecis illi præbuisset Abbati, & ille infectis veneno digitis faciem etiam

Buchovia olim plena latronibus.

Fuldensis Ecclesiæ per plures annos miseriarum.

Principis officium.

Venenum Chirothecis.

ulohij

*Chronologia
monasterio
S. M.*

ci illitum
perdit Ab
batem.

iam & corpus polluisset, miserabili morte obiit altero regiminis sui anno.

53. *Henricus*, Comes de Wildnave, Marquardo successit. Quantæ verò is industriæ, quantæ authoritatis fuerit, qui ob singularem multarum rerum usum, insignem virtutem & indolem huic ipsi Marquardo successor magna spe eligitur, sequentia vobis argumento erunt: siquidem tribus Imperatoribus ordine succedentibus magna fide & diligentia adhæsit. Adolphum enim Regem cum XL. equis sequutus est per sex annos, & in Bifantii obsidione & oppugnatione præcipuam Imperatori navavit operam. Bis deinde ab Imperatore Alberto Austro legatus ad Boemiam cum Imperio mittitur. Ducem Carinthiæ temerario ausu regnum ambientem fugavit. Deinde Imperatorem pro regio diademate accipiendò Romam euntem per Longobardiam & alias nationes solus cum sua familia comitatur. Deinde ab Imperatore Henrico VII. cum regiis mandatis ad diversas nationes legatus mittitur, in Carinthiam videlicet, Austriam, Moraviam, Boëmiam & Ungariam, ubi etiam Regem auctoritate Imperiali regio diademate insignivit. Hic domi habitaciones fratrum & Abbatis primus discrevit: munitiones hostiles deiecit, videlicet Wildectz, Ertall, Tungen, Hellwartz, Schildeck, fugatis raptoribus: Gerstringum vero, Franckensteinium, Saltzingum, & Waldenburgum oppida ditioni suæ adjecit. Hundefeldum, Vachium, Ostbergum, Hausen, Fürstenezum subegit, quibus rebus feliciter confectis moritur principatus sui anno 25. Christianæ salutis 1313.

54. *Eberhardus de Rottenstein* magna spe, sed brevi effectueligitur post mortem Henrici. Fuit vir magnæ & prudentiæ & modestiæ, qui cum ecclesiam Fuldensem debitis oneratam offenderet, magna debitorum parte pro viribus eandem exoneravit. Eligitur autem & moritur eodem anno, cum paucis præfuisset mensibus.

55. *Henricus de Homburg*, Baro, vir juvenis quidem, sed ingenii alacris & vehementis, ingenium prodebat facundiâ, qua sui seculi Principibus facile præstabat. Quo animo fuerit erga sub-

subditos, indicio est, quod pleraq; quæ ab alienata erant à præcelloribus, redemit: nova insuper coëmit, adeo ut per ipsum ditioni Fuldensi bona pars accederet. Arces muris & mœnibus, oppida fossis & vallibus circumdedit, quibus rebus auctoritatem sibi paravit simul & invidiam. Nam cum in dicendo jure rigidificulus pro ingenii vehementia esset, non potuit justitiæ rigorem ferre barbara rusticitas. Anno enim 1331. cum per tot Principum bonitatem & prudentiam in longa pace locupletati essent cives Fuldenses, ob divitias (ut fit) in luxum, à luxu in libidinem, à libidine in insaniam rapiuntur. Parum arbitrabantur, Principum beneficentia liberos esse sese, nisi & ipsos in servitute redegissent Principes. Exciderat à pectoribus eorum, quinam non monasterii modo, verum etiam urbis fundamenta jecissent. Non secus igitur, ac si suæ jurisdictionis essent nec jus aliunde expectare deberent, fugatis Abbate & fratribus arcem sui Principis, tum extra pomeria urbis sitam & monasterio conjunctam, demoliuntur: mox decani domum evertunt, deinde fratrum domicilia vastant: quicquid suppellectilis, quicquid ornatus adest, rapiunt, auferunt, prodigunt. E montibus B. Virginis & D. Petri prædam pro se agunt, direptis bonis ædificia incendunt, comburunt. Princeps, qui ad cætera ab initio stabilienda fuerat solertissimus, in hac nova causa & impia inertiam notam non patitur sibi impingi, scelestum crimen ad Imperatorem defert, cujus mandato Archiepiscopus Treverensis, Baldwinus, Comes Lützelburgius, Imperatoris Henrici VII. germanus frater, ad sopiendam tam nefariam seditionem legationem suscipiens, Abbatem cum cœtu fratrum restituit. Quos ad urbem venientes progressi cives cum magna reverentia excipere coguntur, prælatis de more funalibus & cereis. Reversus igitur Princeps in conspirationis præcipuos auctores graviter animadvertit, duodecim gladio percussis. In cujus rei memoriam, de occisorum bonis XII. pauperes è civium egentium numero (quos *Kuttenarios* lingua vulgari vocant) hodierno die aluntur. Qua in re singularem Principis erga suos benevolentiam quis non admiretur, prædicet & amet? Rebelles cives & nefarios plectit, & vel-

Fuldenses
seditiosi
in Domi-
num suū.

Seditio-
nis au-
thores pu-
niantur.
Cuculli-
feri.

& veluti nulla post sumtum supplicium affectus injuria, beneficium confert in eos, à quibus tam insignem acceperat injuriam, Sic, sublatis licentiæ principibus duodecim, alios exilio damnat, sanguinis minus sitiens, sceleris clementissimus punitor. Secutus est nostris etiam temporibus tantæ clementiæ exemplum Illustri Princeps, Joannes Hennenbergenfis, tum sub Hartmano à Kirchberg (piæ recordationis) coadjutor, postea Abbas designatus, qui pulsus à seditiosis rustici tumultus complicitibus civibus, parum arbitratus est non punire innocentes, nisi etiam

Clementia Joannis Comitis Hennenbergenfis.

Conditur nova arx in Civitatem ipsam.

Concilium Benedictinum Fulde.

Pedum pastorale & alia cur inventa. Ceremoniarum finis.

pro puniendis & jam gladio destinatis intercederet, & vitam donaret illis, quorum licentia & contumacia ipse nuper de vitapericlitabatur.

Sed redeo ad Henricum, cujus restituti monitu & jussu munitionem cives intra pomeria recipiunt, novam arcem condentes, quam nunc quoq; vulgus *die Wuenburg* vocat. Manet autem nominis appellatio à superiore arce etiam in ea parte, quæ extra civitatis & monasterii moenia sita est. Sic tandem ecclesiæ pace reddita, moritur pater venerandus anno 1353. paulo, antequam moreretur, celebrato fratrum ordinis Divi Benedicti concilio generali. Præfuit annis 39.

56. *Henricus de Crauck*, vir nobilis, Baroni Homburgio successit, nihilo minoris, sed melioris aliquando fortunæ, siquidem sub eo Hermannus, Comes Hennenbergenfis, dictus de Aschaw, arcem Wernberg expugnavit, expugnatam Abbas Henricus vi recepit. Deinde Otto, Hessiæ Landgravius, civitatem Hunsfeldt obsidione cinxit: verum Abbas conquestis auxiliis, pulso vi hoste, solvit obsidionem. Hic comparavit mitram Episcopalem gemmis & unionibus distinctam magnæ æstimationis & precii. Præterea baculum pastorem censuræ non minoris: quæ non tam ornamenta sunt vilis corpusculi (quod imperitum vulgus objicit) quàm illecebræ quædam ad religionem ducendis animis adinventæ: qua ratione & occasione omnes primum in ecclesiam ceremoniæ introductæ sunt. Id enim unum veneramur, colimus & adoramus, quod sub ipsis latere non dubitamus. Henricus autem & autoritate comparata, ob tot virtutum insignia,

ignia, & dierum plenus, cum 19. annis præfuiſſet, moritur anno ſalutis Chriſtianæ 1372. Fuerant duobus prædictis inimicitiae intolerabilioreſ, quo remotioreſ. Nam licet Henrico ab Homburg à civibus injuria fieret, domus tamen penetralia conſentebant.

57. *Conradus ab Hanaw* autem, inclytus Comes, qui Henrici de Craluck ſucceſſor fuit, domeſticis miniſtrorum adverſitatibus exercebatur, quas ob nimiam ferocitatem moroſus Dominus ſibi conciliarat. Idcirco exitum, quem *Ganſam* vocant, per poſticum arcis novæ in liberum campum primus fecit, civibus etiam hodierno die inviſum. Siquidem in noſtrorum temporum tumultu ruſtico Fuldenſes, demolito Ganſæ ponte, exitum *Gan s.* factis & calce obſtruxerant, quem tamen recluſum ſedato tumultu & ponte inſtaurato denuo aperiunt. Porro Abbas *Conradus*, cum ad privata quorundam Principum comitia Spangenburgum (*Heſſiæ* civitatis id nomen eſt) veniſſet, inſidiis hoſtium in oſtio cubiculi occiditur, nihil ſuſpicans mali, anno 1382. cum decem non ſine moleſtia præfuiſſet annis. *Abbas occiditur.*

58. *Fridericus de Romrot* vel *Romriedt*, vir nobilis in Buchovia natus, conſtituitur Abbas poſt trucidatum anteceſſorem. Hic debitis onuſtam aſſumens provinciam, cum tredecim annis præfuiſſet, debitis obligatam mortuus reliquit. Sub hoc Abbate, Epicoſopus *Herbipolenſis*, *Gebhardus*, Comes *Schwartzenburgus*, civitatem *Hamelburgenſem* obſedit, cumq; vires non ſuccederent, ad dolos confugitur: ſed plus valuit virtus, mature *Hamelburgum* do-
lis obviam eunte Principe, cujus prudentia & ſedulitate hoſtis *obſidetur.* pellitur, liberatur civitas. Moritur anno Domini 1395.

59. *Joannes de Merlawe*, nobilis ex Buchovia natus, *Romridum* ſequitur anno 1395. conciliante juveni dignitatem magnanimitate, quæ cæteris virtutibus munimento eſt: nec ſefellit ſpem animoſus juvenis. Debellatis ſiquidem hoſtibus, eorumque everſis munitionibus, provinciam ſibi commiſſam defendit. Fugato vero malo externo, aliud (ut ſemper fit) quod virtutem alat, domeſticum ſuboritur malum. Monasterium enim *Fuldense* *Nulla ca-*
lame abſumitur anno ſalutis humanæ 1398. Non dejicitur ani-
lamiſe
mus ſola.

Ff

mus

mus ingens in rebus aduersis, sed ad instaurandum, quod ignis injuria absumferat, monasterium è vestigio confurgit, & alacriore animo adducuntur nova ornamenta instauratis ædificiis, nempe tabula ex margaritis Altari summo, campana major, quam Osannam vocant, capitis D. Bonifacii argentea persona. Hic quadraginta equorum comitatu in concilio Constantiensi fuit. Habitum est & Concilium generale fratrum D. Benedicti Fuldæ, hoc Abbate præsidente, cumq; jam ætatis vitio se infirmiore, quam qui præesse posset, sentiret, coadjutorem sibi delegit cognatum suum Hermannum de Buchonaw. Qua re vir in cæteris prudens non parum erravit, plus sanguini quam publica dans utilitati, cuius rei mox poenam luit eodem illo auctore, in quem detulerat dignitatem. Siquidem Hermannus coadjutor Abbatialem dignitatem percipere maluit, quam expectare, confusus sanguineorum potentia. Ortam autem inter Abbatem & coadjutorem seditionem Legatus Apostolicus composuit. Sed non impune fuit publicæ rei Fuldensi privatum malum: siquidem mortuo, cum 45. præfuisset annis, patre optimo anno Christianæ salutis 1440. coadjutor Hermannus in Abbatiam intruditur.

*Iterum
Concili-
um Fulde.*

*Sanguini
non plus
tribuen-
dum quam
publicæ
utilitati.*

60. *Hermannus de Buchonaw*, Præpositus montis S. Joannis, qui communi consensu Abbatis sui coadjutor adhuc oppignoratam in Wetteravia Marcam (Fuldensem quam vocant) nunc Abbas perpetuis temporibus (omnibus detestandum committens facinus) vendidit & ab Ecclesia Fuldensi, penitus ablata vindicandi spe, abalienavit. Hic monasterium, cui Præpositus fuerat, D. Joannis videlicet, reformavit. Obiit, cum novem præfuisset annis in monte B. Mariæ Virginis, & in monte D. Joannis conditur corpus defuncti anno Domini natalis 1449.

*Marca
Fuldensis
venditur.*

61. *Reinhardus*, Comes de Willnaw, Hermannum excipit. Fuerat prius præpositus in Holtzkirchen, monasterio prope Wertheimium sito. Eligitur in Abbatem & Principem Fuldensem anno 1449. cuius virtutem, ut cæterorum, quorum facta magna censentur, hostiles animi arguunt. Siquidem ignobilis nobilitas (non enim habeo aliud, quo commodius potentium quidem

quidem aliquorum, sed sceleratorum facta notem) à forti & vera nobilitate hujus viri est devicta. Hic enim castra hostium & arces, videlicet Urtzell & Ebersberg, obsedit & expugnavit. Poterat jam videri otium meruisse virtus, nisi majoribus insignienda esset præmiis. Siquidem anno Domini 1468. duo Hassiæ Landgravii fratres, alter ex professo hostis, eoque melior, quod Land-caveri poterat: alter auxilii spe tanto deterior, quod sefellit, Ful-gravii densen ditionem ingrediuntur. Ex professo hostis, ad Biber-hofes stein arcem usque progressus, omnia circum urbem Fuldensen deprædabatur comburebatq; . Simulatus amicus & in civitatem Fulden-sium, meliori spe receptus, non minoribus injuriis & damnis affectit amicos. Verum Dei Opt. Max. clementia & hujus Abbatis diligentia fugatur hostis, pellitur urbe male amicus, factaque pace Abbas ad religionis curam reverfus, monasterium S. Petri reformavit, & confectus senio generosum Principem, Joannem Hennenbergensem, coadjutorem adsciscit, ipse sese ex arce ad monasterium Fuldæ contulit, ibiq; , quod restabat, ætatis transegit; saltem hac una re non incelebris, qui prudentissimum simul & religiosissimum Principem sibi substituit. Obiit anno 1476. cum 27. præfuisset annis laudabiliter.

62. Joannes, illustris Comes Hennenbergensis, Canonicus erat ecclesiarum cathedralium, Moguntinæ, Coloniensis, Treverensis, & Herbipolensis. Sunt enim istis Ecclesiis (ut aliis) Ecclesia- majorum instituto concessa privilegia, quibus Principum & Ma- sticarum gnatum filii ad mores & pietatem, non ad otium & luxum alan- dignita- tur: & singulis diversarum ecclesiarum ideo permittuntur bene- tum qui ficia, ut æquum jus sit ecclesiis ad dignitates promovendi non olim ca- aliena, sed sua membra, si modo qua indoles appareat, quæ pro- pacies. futura sit humano generi. Præripuerat jus suum ecclesiæ Ful- densi singularis Antecessoris providentia, qui virtute ejus motus non dubitavit eum moriens sibi substituere. Factus itaq; est Ab- bas anno 1477. Juvenis nihil minus quam arrogans, simplicitas ipsa, mera integritas, virilis prudentia, prudens juvenus, & ut encomion Paulino templo inscriptum de eo testatur, quem ne- mo contemnat, timeant scelerati, ament ex æquo omnes. Is, cum in habitu

Ff 2

Chronologia
 monasterio
 S. M

*Clerico-
rum vita
qualis esse
debeat.*

habitu seculari dignitatis titulum administratione virili coadunaf-
set per quinquennium, habitum tandem religionis assumpsit.
Tum vero dixisset hominem, non habitum mutatum. Cense-
bat enim indecorum esse superstitionis habitus vestem sine mori-
bus gestare. Post veram enim Dei agnitionem, præcipuam hanc
hominis curam esse debere arbitrabatur, ut continens viveret &
moderate uteretur rebus à Deo ad usum quotidianum concessis:
idcirco cœlibatus amans ob regnum Dei adeo erat, ut ex utero ad
cœlibatum natum cum diceret; in victu continentissimus, quæ
ratio ad puritatis conservationem præsentissima est: ad eleemo-

*Liberali-
tatis ex-
emplum
singulare.*

synas liberalissimus, ut qui quoties cibo, quem bis (de more au-
læ) simulabat potius quam sumebat, uteretur, unum ferculum
lancis argentæe de mensa ad lectum explorati alicujus egenitis
mitteret. Quid mirum? si ab omnibus in pretio haberetur, si ab
omnibus cum timore amaretur, qui omnes bonos ex æquo ama-
bat. Sed erant hæc privata opera: ad publica nunc veniamus.
Etsi virtus ejus meruisset, ut tranquillus viveret, tamen, cum in-
juriis lacefferetur, ad quas non erat profus quiescendum, in hac
etiam parte virum & pium & magnanimum sese ostendit & pro-
bitatem suam singularem omnibus conspicuam fecit, quæ tum
demum agnoscitur, cum ad vindictam invitus aliquis provoca-
tur. Non poterat (quod non debebat) ferre injuriam publicam,
cujus gratia Reusenburgum aggreditur, & expugnasset, nisi bo-
norum fide interposita lis diremta fuisset.

*Injuriis
non ce-
dendum.*

*Eisen-
bach,
arx.*

Eadem ferè mox fortuna fuit arcis Eisenbachicæ. Civitatem
Hamelburgensem oppignoratam redemit à Comite de Reineck:
decimas vini, jure vindice, in eadem civitate obtinuit. Partem
arcis novæ (cujus in vita Heinrici de Homburg meminimus)
quæ ditionis erat Hessiæ, à Landgravio Hessiæ Guilelmo rede-
mit. Item tertiam partem arcis Mackenzell, & privati juris do-
mum in Hunfeld emit. Cumq; privatim religiose, publice juste
& pie 45. annis primum coadjutor, postea Abbas præfuisset,
confectus administrationis labore & temporum successibus, co-
adjutorem sibi sumpsit Hartmannum, Burggravium ex Kirchs-
berg, electione tali felicissimus omnium majorum suorum futu-
rus.

*Macken-
zell.*

rus, si electi coadjutoris eruditioni, juris prudentiæ, & eloquentiæ reliqua vita respondisset. Moritur autem extra aleam fortunæ positus anno 1513. vicesima Kalend. Maij.

63. *Hartmannus*, Thuringus, ex Burggraviis de Kirchberg natus, corporis statura procera ac plane heroica, facie decora & pulchra præditus, Juris utriusq; doctor, ingenio erat plus quam hominis ferè admirabili præditus, amator literarum literatorumq; singularis, & quis hunc indoctum audeat dicere? qui doctos amavit & doctorum perpetua conversatione delectatus est. Non meminisse tantæ eruditionis tutius erat, ne non crederetur, nisi omnes norint. Res vero nostrorum, eorumq; proximorum est temporum. Anatura facundus naturalem facundiam auxit industria; prudentiam Imperialium legum scientia arguebat. Moguntia cum Juris prudentiæ operam navaret, fit Canonicus, mox affessor Cameræ Imperialis. Nec quievit versatile ingenium, nec latuit sagax industria Principes Romanæ ecclesiæ viros; siquidem Reimundus Cardinalis & legatus virum dicendi peritissimum Germaniam pervagaturus sibi adjungit vitæ socium, ad cujus libitum cum vir dicendo promptus omnia exequeretur, coadjutor Joanni Hennenbergensi viribus destituto & venerando seni additur. Deinde, Maximiliano Cæsare Augusto imperante, legatione ad Polonos fungitur. Post, vita functo Abbate, Romam profectus confirmationem præfens accipit. Hactenus quis non laudet industriam, admiretur labores? summatim dicam, felicissimum fuisse ecclesiæ Fuldenfis statum, si prædictis virtutibus respondissent cætera. Non enim habeo aliud, quod conquerar magis: rem tamen magnam effecisset, si mulieri non cessisset. Ecclesiam Hersveldenfem ecclesiæ Fuldenfi incorporaverat (ut hujus verbo dicam) annuente votis prudentissimi Principis etiam Cæsare Maximiliano. Restitit virilibus inceptis industria muliebris. Landgravia enim Hessiæ, ex Ducibus Meckelburgensibus nata, infante quodammodo adhuc filio Philippo, conatibus restitit Hartmanni, ei que ab ecclesia Hersveldenfi amoto alium Abbatem substituit, & intra terminos Fuldenfes contentum manere coegit, volentem ne an invitum, quis dijudicare

*Abbas
Juris Do-
tor.*

*Mulie-
bris in-
dustria.*

care ausit? Satis constat, infinitis expensis vix rem compositam; unde cum ratio posceretur ab Abbate, ablati reliquis adhuc pecuniis (quas amplissimas ab Antecessore vigilantissimo patrefamilias acceperat) direptis etiam ornamentis plerisque; aliis, in quibus ferè thesaurus omnis Fuldenfis ditionis erat, noctu aufugit Hamelburgumq; se contulit, cum tribus annis Abbas fuisset. Item contra eos, quos fugiens deceperat, instituit apud Cæsarem: qua ex re prioribus damnis nova accedebant. Interim per sex annos interregnum est, quo tempore status ecclesiæ & ditionis Fuldenfis per duos Conventuales de capitulo, ut vocant, administratur. Composuit tandem rem totius negotii Carolus divina Clementia Imperator V. substituto coadjutore, Joanne Hennenbergense, quem in avitos patris sui Joannis Hennenbergensis mores iturum sperabant omnes, ivisse contendunt plurimi.

64. *Joannes*, Comes Hennenbergensis, Guilelmi Principis & Dominae Anastasie Brandenburgensis Marchionissæ filius, corporis & ingenii bonis longe felicissimus, acceperat elementa latinæ linguæ Moguntia primus, ibiq; factus Canonicus. Erat Canonicus etiam Coloniensis, Argentiniensis, & Bambergensis Ecclesiarum. Mittitur Parisios in Galliam studiorum ergo, unde reversus cum egregiæ indolis & eruditionis specimen exhibuisset, coadjutor Hartmanno additur, vir præter Principum nostri seculi mores eruditus, natura & studio eloquens, mire humanus, quam virtutem non modo à parentibus hereditariam quasi habebat & cum ipso lacte imbibitam, verum ex humanarum etiam literarum studio & aluit & auxit. Laudamus (inquit *catalogi auctoris principis coetanei*) quidem viventem, sed laudem meritum, & majorem laudem, si non defecerit, accepturum. Hujus regiminis anno 4. stulta rusticitas turbas excivit, & præter meritum & optime meriti Principis spem, monasteria omnia evertit. Parum erat insanæ plebeculæ fugasse Principem, nisi alienis turbis auxilio veniret & camino (ut dicitur) adderet oleum. Emisit cohortes aliquot Fuldenfis insanæ rusticitas auxilio Hersveldensibus, authoribus novæ seditionis, motæ à subditis contra Landgravium Hessiæ Philippum: quare motus Philippus exor-

*Rustico-
rum tu-
multus.*

exercitum movit subditum, Fuldam veniens, inermem turbam fugat, eaq; in fossam arcis novae dejecta, Principem Fuldensem certis conditionibus restituit, quæ conditiones cum per Decanum & reliquam Fuldensis ditionis nobilitatem parum ratae haberentur, redit Landgravius: cujus adventu (cum intempesta hiems sæviret) coadjutor Fulda cedit, & nondum integro exacto anno, componente totum negotium Cæsare Carolo, restituitur. Præfuit in univ. annis 20. Obiit anno Domini 1541. De hujus insignibus tale extat elegidion *Georgii Æmylii*, quod in honorem illustriſſimæ Hennenbergensium Principum familiæ huic loco inferendum existimavi:

Hennenbergiadum vetus & generosa propago

Hæc gerit in clypeo signa vetusta suo:

Gallinam triplici vestigia colle moventem,

Et geminam, Christi regia signa, crucem.

His aquile pectus volitantibus additur alis,

Cui premit angustum celsa corona caput.

Infima pars aquilæ spatio subjecta quadrimo

Cernitur alternis conspicienda notis.

Quod si forte roges, veteris monumenta figuræ

Quid moneant, paucis accipe, doctus eris.

Aurea crux vere semper pietatis amantes

Hennenbergiacos indicat esse Duces.

Armiger, imperii socios: Regumq; corona

Arguit antiquis regibus esse satos.

At studium populi tranquilla pace regendi

Candida materno pectore signat a vis.

Namq; suos pullos veluti gallina tuetur,

Et teneros fido mater amore fovet,

Et modo fert bumeris, passis modo protegit alis,

Sedula nunc fido colligit ore dapes.

Sic studio ci ves merit isq; fo vere benignis,

Principibus dignum jure putatur opus.

Præcipue populum stabili virtute tueri,

Et veros patriæ convenit esse patres,

Wg

Chronologia

Chronologia
Hennenberg
S. M

Utq; sub innocua securi pace quiescant,
 Bella Duces debent pellere sæva procul.
 Talia cum præsent populo benefacta, merentur
 Jure suo celebres hæc monumenta Duces.
 DI faciant, illis multos gaudere per annos
 Dignaq; virtutis præmia ferre queant.
 Virite magnorum clarissima semina Regum,
 Tempore perpetuo vivere digna Domus:
 Vestraq; nobilibus tollatur in astra Camenis
 Gloria, venturo nescia sine premi.
 Sic ego, sic alii mecum pia turba precantur,
 Prospera sint summo vota favente Deo.


65. *Philippus Schenck* (latine pincernam vocamus) à Schweins-
 burg, nobilis Hassiæ, vir prudens, doctus & eloquens, qui jam
 inde ab adolescentia bonis moribus literisq; deditus operam Ju-
 ris utriusq; prudentiæ in Moguntinensi & Coloniensi Academiis
 tantam navavit, ut inter Jurisperitos primo loco numerari po-
 tuerit: facundia multos quidem pares, sed vix paucos uspiam su-
 periores habuit. Promeruit certe partim liberalium studiorum
 fedula inquisitione, partim vero monasticæ religionis severitate,
 ut dignus idoneusq; habitus fuerit, cui cura omnis & tota ista gu-
 bernatio Fuldaniæ ditionis ante etiam crederetur committeretur-
 que, quam Abbas & princeps fuisset delectus. Eligitur vero in
 Abbatem & Principem Fuldensem, Abbatumq; Germaniæ om-
 nium Primatem & Imperatricis Archicancellarium anno Do-
 mini 1541. Præfedit laudabiliter hoc adhuc currente Jubilæo,
 quo naturæ debitum exsolvit mense Januario, cujus tumulo tale
 epitaphion, à *Georgio Wicelio* compositum, superadditum est:

Conditæ Primatis latitant hic ossa Philippi:

Servanda patriæ deditus ille fuit.

66. *Wolfgangus de Uffigkheim*, nobilis heros ex Ostrofrancis
 vel Sudetorum montium vicinia natus, Præpositus prius in
 Holtzkirchen & Zell, eligitur anno 1550. vir ingenio præditus
 magno, memoria vero prorsus miraculosa, qui à primis annis
 inter monasticæ vitæ regulas vixit ac detritus est, tandemq; pere-
 grina-

grinatione ac urbium populorumque multorum lustratione, omnium præterea historiarum tam sacrarum quam ethnicarum lectio, fide item ac virtute eò evasit, ut inter claros antistites poni merito debeat: vir omni probitatis atque æquitatis genere commendandus, & rei ecclesiasticæ affectator haudquaquam segnis, de quo item dubites, à fastu ne an à luxu sit alienior. Hic Ecclesiæ & ditioni suæ Fuldensi fidelis & rei domesticæ per omnia studiosus gubernator hoc adhuc præfidet tempore, pontificatum Julio III. imperium vero Carolo V. ac Ferdinando fratribus feliciter administrantibus. Huc curas & studia sua referens omnia, ut & cultum divinum in Ecclesiis augeat & ad justitiæ normam administret dexterrime omnia.



GANDERSHEIMIUM, magnificum & eximie opulentum monialium, ex augusta Principum ac Comitum stirpe natarum, collegium verius quam cœnobium, in ejusdem nominis Brunsvicensi quodam oppidofitum, extrui & fundari coeptum est anno Domini 842. à Leodolpho vel Leutholpho Magno, Duce Saxonum; consecratum & donatum anno Domini 852. à S. Alfrido, quarto Hildesheimensium Episcopo, qui primas duas ejus loci Abbatissas designasse & velasse dicitur. Abbatissarum talem invenio etsi imperfectum catalogum.

Catalogus abbatissarum.

1. *D. Habundis* constituitur Abbatissa prima anno 852. Fuit Leutholphi fundatoris filia. Præfuit annis 18. Obiit anno salutis Christianæ 870.
2. *D. Gerbirga*, Saxoniz Ducissa, Dominæ Habundis germana soror, eligitur anno Christi 870. Præfuit annis 13. Valdidixit humanæ vitæ anno Domini 883.
3. *D. Christina*, Leutholphi fundatoris tertia filia, eligitur intertiam Abbatissam Gandersheimensem, consecraturq; ab Episcopo Hildesiano, Wigeberto. Obiit sub Episcopo Waldoberto.
4. *D. Rodeschwinda*, & ipsa Ducali stemmate nata, eligitur

G g ab

Handersheim
Chronologi
Misterio
S. III